Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2423

Quelle:
Copyright:



*hec appellatur de roſario.* IV. *quomodo proprietates roſe materialis Virgini marie conveniant* &c. Quae ad plenam pii hujus Inſtituti cognitionem faciunt. Initium eſt: *Aduertendum quod decem et maxime neceſſaria bona proueniunt homini* &c. Et finis: *iter para tutum, vt videntes ihesum ſemper colletemur Amen.* Fortaſſe *la Confrairie du Pſautier de notre Dame*, cujus meminit *Echardus l. cit.* Opuſculi noſtri Verſio ſit.

III. *fol.* 91. *Incipit conſolatorium timorate conſcientie fratris Johannis Nider ordinis predicatorum ſacre theologie profeſſoris.* Tres *Partes* habet utilis hic Tractatus, qui in *Capita* abeunt. C. I. inſcribitur et incipit: *Quot modis accipiatur conſcientia. Primo igitur animadvertendum quod conſcientia vno modo ſumitur pro re conſcita* &c. Adjacet mihi nitidiſſima Editio *Ulrici Gering Pariſiis* 1478. 8. *maj.* jam *Signaturis* inſtructa, et *Cod.* noſtro vetuſtior, quae docet, huic et *Prooemium* et *Tabulam* deeſſe. Habetur tamen utrobique ingenua illa, qua ſemper captus ſum, ſub finem Autoris Confeſſio: *Tantum de conſolatione timorate conſcientie dixiſſe ſufficiat. A cuiusmodi compilatione ſi quiſcunque, quod ſuum eſt, recipere velit, nihil aut modicum autori manebit.* Memini ejus *Cod.* DCLXXII. et ſaepius. In *Scriptt. Ord.* celebratur T. I. p. 792. II. 822. Editionibus *Conſolatorii* ibidem citatis addidi tres alias in meo *Maittairii Supplem.*

## DCXXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 135. f. ſat probe ſcriptus, titulis et Summariis marginum miniatis decoratus, olimque ad Coenobium *Scotorum O. S. B. Viennenſe* pertinens continet ſequentia: I. *In chriſti nomine Incipit liber magiſtri Hugonis de Clauſtralibus.* Adjecit manus recentior: *Pars prima.* Quod ſi adeas *Hugonis Victorini* Opera *Rotomagi* 1648. impreſſa, T. II. p. 60. invenies *Partem* hanc inſcriptam eſſe *Librum Secundum de Clauſtro Animae.* Prologi initium eſt: *Locuturus cariſſime de bijs que ad edificationem clauſtri materialis pertinent* &c. operis ipſius in Capita diſtributi: *Quoniam de ordinatione clauſtri materialis* &c. *Fol.* 21. *Explicit prima pars. Incipit ſecunda.* Haec in Editis eſt *Tertius Liber de Clauſtro Animae*, cujus Prologus inſit: *Noſti cariſſime quod ea que de ordinatione clauſtri materialis* &c. opus ipſum: *Anime Clauſtrum contemplatio dicitur* &c. Atque haec *Pars* in C. IX. dimidio iis verbis: *tolle grabatum tuum et ambula*, deficit. Abeſt itaque a *Codice* non tantum C. X. *de Oratorio Animae*, ſed omnia illa Capita ſubſequa *de Templo Salomonis*, quae perperam adſuta fuiſſe alioqui dabit oculatus quisque. Neque aliter de iis, quae ſubjungam, judicabit. Sequitur nempe *fol.* 30. in *Cod. Pars* quaedam a manu recentiore *Tercia* dicta, in *Capita* diviſa, quorum titulos adſcribam: *Quod ypocrita in congregatione fru-* 319